

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Rapina c cum fonte primo

Remota iusticia, quid sint regna
nisi magna latrocinia? Quia latrocinia,
quid sint nisi parua regna?

Hoc malum tantum

crescit ut et loca teneat, sedes constituat,
ciuitates occupet, populos
subiuget, et euidencius regni nomen
assumit; quod ei iam in manifesto
confert non dempta cupiditas, sed addita
impunitas. Ideo eleganter et ueraciter
Alexandro magno
quidam pirata comprehensus respondit

cum ab eo interrogaret
quid sibi ut mare haberet
infestum, ille libera uoce: Quid
tibi, inquit, ut orbem terrarum? Sed
quia ego exiguo nauigio facio, latro
uocor; quia tu magna classe, imperator.

Augustinus IIII. de ciuitate capitulo IIII.

Remota itaque iustitia quid sunt regna
nisi magna latrocinia? quia et latrocinia
quid sunt nisi parua regna? Manus et
ipsa hominum est, imperio principis
regitur, pacto societatis astringitur,
placiti lege praeda diuiditur.
Hoc malum si in tantum
perditorum hominum accessibus
crescit, ut et loca teneat sedes constituat,
ciuitates occupet populos
subiuget, euidencius regni nomen
adsumit, quod ei iam in manifesto
confert non dempta cupiditas, sed addita
impunitas. Eleganter enim et ueraciter
Alexandro illi Magno
quidam comprehensus pirata respondit.
Nam
cum idem rex hominem interrogaret,
quid ei uideretur, ut mare haberet
infestum, ille libera contumacia: Quod
tibi, inquit, ut orbem terrarum; sed
quia <id> ego exiguo nauigio facio, latro
uocor; quia tu magna classe, imperator.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate
Dei*, 4, 4 (CCSL 47, B. Dombart ed.,
pp.101-2, ll.1-14).